

CARMELO S. MARIA MADDALENA DE' PAZZI
Firenze

CONSTITUTIONES
CAPITULI LONDINENSIS
ANNI 1281

L. Saggi, *Constitutiones Capituli Londinensis anni 1281*, in “*Analecta Ordinis Carmelitarum*” XV-
(1950) 203-245.

- Qualiter respondendum sia querentibus a quo et quomodo noro noster sumpsit exordium. 1
Quod simus uniformes in necessariis vite nostre observanciis. 2
De loci recipiendis [et] procurationibus. 3
De cellulis et earum ordinatione et clausura earum. 4
De modo pulsandi. 5
De modo conveniendi ad divinum officium et de circa hoc conservandum. 6
De fratribus studentibus parisiis. 7
De comuni labore fratrum. 8
De ieiunio fratrum. 9
De commestione fratrum. 10
De silencio et ubi sit tenendum. 11
De modo loquendi cum extraneis. 12
De dormitione et modo dormiendi. 13
De custodia porte. 14
De hospitibus et hospitalitate. 15
De fratribus missis et itinerantibus. 16
De minucione fratrum. 17
De infirmis fratribus. 18
De confessionibus fratrum et secularium et qui fratres possunt audire confessiones et predicare.
19
[De communione fratrum 20]
[De minucione fratrum: da eliminarsi] De rasura fratrum.
[Manca]
Da calciamentis fratrum. 23
De vestimentis fratrum. 24
De receptione noviciorum et de ipsis noviciis. 25
Quod nullus ad sacros ordines promoveatur ante professionem.
De forma faciendi professionem. 26
Quod regula quater in anno exponatur. 27
De priore locali et superiore et prioratu. 28
De capitulo conventuali. 29
De accusationibus. 30
De improperantibus et diffamantibus. 31

De seminantibus inter fratres discordiam. 32
De pena conspiratorum et quomodo amovendi sint priores. 33
De publice minantibus irato animo et percuciendum et de percussoribus. 34
De minantibus carpitam proicere vel eam proicientibus et apostatis. 35
De lapsis in peccatum carnis. 36
De apostatis [et] graviter percucientibus, conspiratoribus, lapsis in peccatum carnis, litterarum nostri ordinis falsariis, et eorum pena. 37
De thesaurizando. 38
De compotis reddendis. 39
De furibus et eorum pena. 40
De receptione provincialium visitorum, et localium. 41
De casibus priori generali et provinciali reservatis. 42
De capitulo provinciali et e hiis que circa ipsum sunt consideranda. 43
De terminatione generalis et provincialis capituli. 45
De capitulo generali. 46
De sigillis et sigillationibus. 44
Quod constitutiones non obligant nos ad culpam sed ad penam. 47
De culpis. 48
De fratribus decedentibus et de libris eorum. 49
Pror generali de [provincia ad] provinciam et prior provincialis de loco ad locum...poterit transmittere et trasmutare. 50
Ne fiat impetratio in cur[i]a super aliqua nisi [de] capitulo generali processerit assensu et consensu et consilio. 51
De diversitate provinciarum. 52

QUALITER RESPONDENDUM SIT QUERENTIBUS A QUO ET QUOMODO ORDO NOSTER SUMPSIT EXORDIUM 1

Cum quidam fratres in ordine iuniores, querentibus a quo et quomodo ordo noster habuerit exordium, iuxta veritatem nesciant satisfacere, pro eis in scripto formulam talibus relinquentes volumus respondere.

Dicimus enim veritati testimonium perhibentes quod a tempore helye et herisei prophetarum montem carmeli devote inhabitantium, sancti patres tam veteris quam novi testamenti eiusdem montis solitudinem pro contemplatione celestium tamquam veri amatores, ibidem iuxta fontem helie in sancta penitentia sanctis successibus incessanter continuata, sunt proculdubio laudabiliter conversati.

Quorum successores, tempore innocencii tercii, albertus ieroselimitane ecclesie patriarcha in unum congregavit collegium, scribens eis regulam quam honorius papa, successor ipsius innocencii, et multi successorum suorum ordinem istum approbantes, sub bullarium suarum testimonio devotissime confirmaverunt. In cuius professione nos eorum sequaces usque in hodiernum diem in diversis mundi partibus domino famulamur.

QUOD SIMUS UNIFORMES 2

Quoniam ex precepto sanctorum patrum iubemur habere cor unum et animam unam in domino, et quia iustum est ut sub una regula viventes uniformes in necessariis vite nostre observanciis inveniamur, et ne forte aliquid addere aut minuere liceat sua alicui auctoritate, ut memoriter

teneantur, in scripto ea commendavimus que moderationi conversationis nostre necessaria reputantur.

DE LOCIS RECIPIENDIS ET PROCURATORIBUS 3

Nullus recipiat locum, nisi de licentia prioris generaris vel ex ordinatione et assensu capituli provincialis vel //200r// sanioris partis[que] eiusdem, sub pena gravioris culpe secundum exigenciam delinquentis. Fratres autem non mittantur ad huiusmodi locum capiendum nisi de voluntate capituli provincialis processerit et consilio; et tales de cetero ad hoc precipue deputentur, qui opinionis bone et discretionis provide habeantur; nec ille, qui ita fratribus sic missus pre fuerit, prioris, sed tantum procuratoris nomine censeatur.

Nullus insuper locus a fratribus nostris per septennium inhabitatus, absque licentia prioris generalis vel provincialis vel cum consensu capituli provincialis aliquatenus transmutetur; quod si contra factum fuerit, careat omnino roboris firmitate.

Item nullus procurator alicuius loci vel prior habeat potestatem obligandi ordinem nostrum seu compositionem obligatoriam faciendi, inconsultis priori provinciali et discretoribus provincie; que si fecerit, pro irritato habeatur.

Item prohibemus, sub pena gravioris culpe per XL dies infligenda, ne aliquis prior localis nec procurator nec aliquis fratrum indebitet locum ultra summam pecunie a generali vel a provinciali vel ab eorum vicariis taxatam.

Omnia loca nostra clausura muniantur que securitatem et honestatem pretendant, nec sancte paupertati videantur discrepare, et hec clausura fiat antequam aliquod opus magnum et sumptuosum ibidem inchoetur, sub pena gravioris culpe per X dies infligende.

Prioribus aut[em]; provincialibus vel eorum vicariis districte precipimus et mandamus quod quando contigerit novas domus vel alias in sua provincia existentes aliquorum questionibus molestari, et propter paupertatem suam proprio adiutorio destitutas, de domibus sue provincie exhiberi faciant domibus huiusmodi subsidium oportunitate, quousque pacis obtineant complementum. Impedientibus autem ipsos in hac parte, pena inobediencium et rebellium precipimus puniendos. Inhibentes quod nullus prior vel vicarius conventualis vel aliquis alius aliquam causam audeat incipere irrequisito suo priore provinciali et super hoc abita licentia ab ipso et consensu.

Prohibemus ne aliquis prior provincialis ultra metas sue provincie auctoritate propria fratres ad recipiendum locum presumat destinare, nec in aliena provincia sine //200v// consensu prioris eiusdem provincie audeat procurare. Si vero contigerit dominum sue provincie in aliena provincia commorari tunc licite poterit ad dominum talem pro suis ibidem negociis expediendis vel procurandis personaliter vel per fratres recurrere.

Statuimus in virtutis sancte obedientie firmiter precipiendoque mandamus ut de cetero cessent oblocutiones et vendicationes et divisiones domorum, provinciarum et procurationum diversarum provinciarum; et si quis super hiis transgressor repertus fuerit, tamquam conspirator et scismaticus per omnia habeatur et nihilominus puniatur.

Precipimus etiam ut fratres nostri honestiori modo quo possint procuraciones suas faciant, secundum morem provinciarum in quibus habitant, conformantes se modo et manerie predicatorum et minorum.

DE CELLULIS ET MODO PULSANDI 4 et 5

Cellule vero fratrum construantur secundum tenorem regule, in quantum possibile est. Statuimus ut fratribus a cella exeuntibus sine iusta causa, negligenter [lege: *negligentibus*] et garrulantibus, pena gravis culpe infligatur.

Cum hora fuerit, pulsetur ad vespervas et ad matutinas ad (?) ceteras vero horas primo fiat pulsatio sex ictibus post oportunum intervallum fiat tota pulsatio. In festis IX Iectionum pulsetur ad *te deum laudamus*, nisi ex causa rationabili dimittatur.

Item qui competenti festinatione non veniunt ad horas, ad sermonem, ad capitulum vel aliquam aliam campane pulsationem, pene meclie culpe illum censuimus puniendum. Si vero in consuetudinem duxerit, una die a vino absteineat et unam disciplinam in capitulo recipiat.

Post completorium, facto etiam intervallo unius nocturni, pulsatio cum campanella quinque vel sex ictibus, ad quod omnes fratres qui completorio non interfuerint conventuali ubicumque infra septa loci fuerint, statim dicant completorium, sub pena gravis culpe, inviolabiliter observetur; exceptis illis qui ita tarde venerunt quod circa illos illud competenter non poterit observari. Ita tamen quod silenter fiat universa; sub pena gravis culpe ista ordinamus observari.

Item in estate post dormitionem de die, tempore ieiunii, fiat similiter pulsatio VI ictibus //201r// ut fratres a somno excitentur.

DE MODO VENIENDI AD OFFICIUM DIVINUM 6

Ad ecclesiam veniant clerici ad omnes horas, et pro posse humiliter et devote et uniformiter divinum officium compleant, secundum usum dominici sepulchri. Ista constitutio ab omnibus communiter observetur, preter illa que per constitutiones ordinis sunt amota, que non sunt de canone officii supradieti, et que a nobis communiter omnia non possunt observari ad omnibus.

Fratres vero layci communiter veniant ad ecclesiam ad matutinum, ad vespervas, ad completorium, nisi evidenti causa excuse[n]tur, et in choro cum clericis maneant ordinate ubi commode fieri potest, sub pena gravis culpe.

Priores autem locales frequenter admoneant fratres tam clericos quam laycos quod ordinate se habeant, sive in choro sive extra fuerint. Et quod uniformiter inclinent, videlicet quod manus cancellate possi[n]t genua contingere, et intrando et exeundo chorum, capitibus denudatis, eadem inclinationem faciant reverenter, sub pena medie culpe. Eodem modo inclinent in missarum sollempniis, quociens in oratione nomen ihesu et nomen marie nominatur in ecclesia.

Moneantur etiam fratres ut, discooperto capite, cum omni reverentia et sollicitudine circa altare studeant ministrare, sub pena medie culpe.

In omnibus etiam conventibus communis tabuta habeatur, per quam singuli fratres sciant in quibus officiis ecclesiasticis seu et in aliis debeant ministrare. eui vero in officio sibi iniuncto vel assignato negligens fuerit repertus, in proximo capitulo terciam recipiat disciplinam; assueti autem pene gravis culpe se sentiant subiacere. Qui vero aliunde fuerit occupatus infra septa loci, aliquem qui eius vices suppleat deprecatione humili satagat invenire, sub pena gravis culpe nolentibus infligenda. Deus venerunt gentes dicatur diebus ferialibus tantum. Hostium chori exterius clausum teneatur et non nisi pro necessitate aperiat.

DE STUDENTIBUS PARISIUS 7

Quoniam ignorantia mater est erroris, et ex condequenti cuiuslibet status depeditio, nobis et ordini quoad hoc volentes in posterum //201v// providere, duximus firmiter statuendum quod quelibet provincia de duobus scholaribus ad minus ad studia communiter assignata, secundum habilitatem eorumdem, in diversis scienciis mittere teneantur. Ita quod qui fuerint ad lectorizandum habiles in theologica facultate parisiis transmittantur.

Addentes quod predicti scolares unum habentes priorem secundum ordinationem prioris et capituli generalis, preter domum propriam quod [sic] nunc fratres nostri inhabitant, personaliter in domo conductiva inter scolares commorentur, quousque locus studentibus aptius in dicta universitate

ordini nostro fuerit procuratus.

Prior vero generalis, secundum quod predictum est, fratres alios de diversis provinciis studio deputatos, secundum quod sibi videbitur ad utilitatem ordinis et provinciarum de quibus fuerint et etiam eorum, ponet et assignet in aliis communibus studiis a capitulo generali assignatis, in artibus in quibus indiguerint instruendos.

Si qui vero ad proficiendum in theologia competenter idonei ab amicis suis provisionem subscriptam sufficienter poterunt optinere, liceat eos de suorum priorum provincialium beneplacito et assensu per suas litteras specialiter et expresse habitas et capituli [?] vet prioris generalis super premissis habita licentia speciali, ad studium parisiense accedere.

Quantum autem est de speculatione presenti damus in mandatis, districte precipiendo prioribus provincialibus et eorum subditis, quod provincia anglie duos studentes, provincia francie duos studentes, provincia aquitanie duos studentes, provincia terre sancte duos studentes, provincia provincie unum studentem, provincia lombardie unum, provincia alemanie unum ad predictum generale studium transmittant parisius ordinatum.

Si quos autem alios studio predicto habiles in quibuscumque nostre religionis provinciis prior generalis invenerit, illuc vel ad alia studia illos transmittere non omittat.

Statuimus et ordinamus, quod predicti fratres parisius studio deputati capitulum fratrum nostrorum ibidem existentium licite ingrediantur, et ibidem socium prioris canonice eligant quando prior dicti loci cum socio sibi electo iturus fuerit ad capitulum provinciale in eadem provincia ibi ultimo celebrandum pro capitulo generali. Et ut studencium discursus inutilis evitetur, eosdem ne in socios prioris provincialis ituri ad capitulum dictum provinciae vel in socios prioris provincialis ituri ad capitulum generale eligi possint, penitus expeditos reddimus et exemptos. Adiungentes quod singule provincie supra nominate singulis scholaribus in X libris parisiensium annuatim pro expensis provideant, preter libros et vestes et locationes hospicii et alia omnia communia, omni contradictione postposita penitus et remota.

Ordinamus insyngr quod prior qui illis scolaribus preerit et fratres sub eius obedientia commorantes, priori generali vel eorum vicariis ver suis visitatoribus obedire tantummodo teneantur.

De reliquis autem studentibus pro provinciis supra nominatis quantum ad alia studia de inferioribus scienciis deputati, ut quilibet preter vestes necessarias et libros de XL solidis turunensium provideatur duximus ordinandum, non obstante quin in qualibet provincia fratribus capacis ingenii et docibilibus qui poterunt in grammatica et precipue in loyca ad profectum ordinis erudiri, prior provincialis locum vel loca in sua provincia ad hoc aptius vel aptiora per assensum diffinitorum capituli provincialis ubi convenire poterunt provideat et magistrum seu magistros, sub pena gravioris culpe.

Liceat autem prioribus provincialibus studentes suos parisius transmissos de communi assensu capituli provincialis, si ordini expediat cum libris eorum revocare, et tunc alios studentes cum libris, ut supra dictum est loco illorum substituere teneantur.

Statuimus quod lectores, quamdiu fuerint in officio lectorie prioratus officium non teneant, nec aliis officiis occupentur.

Concedimus autem lectoribus sacram paginam de voluntate et assensu prioris generalis et capituli generalis vel de voluntate priorum provincialium legentibus, quod possint uti signis aliquibus suis litteris sigillandis, et in quo [lege: *illo*] conventu in quo erunt, ut predictum est, ad legendum assignati, primam vocem et locum in choro et in mensa et in capitulo habeant post priorem.

Cum hoc etiam ordinantes quod quibus provisum est in tibus vel in posterum provisum fuerit ab ordine, si postquam promoti fuerint ordini non proficiant //202v// sicut debent, libri sic habiti penitus auferantur ab eisdem, nec vendere nec alienare audeant sine prioris generalis vel provincialis licentia speciali.

Pro studentibus parisiis et aliis communibus studiis seu specialibus provinciis studia habentibus, in omnibus provinciis prestetur decima de omnibus, qualitercumque consuetudine actenus observata et

gratia et indulgenciis concessis quibuscumque provinciis vel personis temporibus retroactis. Decima autem predicta, collecta fideliter, scholaribus distribuatur secundum quod tsequitur inferius est expressum. Statuentes quod predicta pecunia vel decima, ex ordinatione diffinitorum provincialis capituli, per priores provinciales vel per fratres alios ad hoc specialiter deputatos fideliter colligatur; qui de receptis et expensis in proximis capitulis provincialibus reddant calculi rationem.

Addentes quod pecunia habita de predicta decima, de voluntate provincialis, temporibus congruis, scholaribus parvis studentibus et aliis communibus studiis transmittatur, et quod superfuerit in suis provinciis studentibus distribuatur secundum exigenciam et merita eorumdem.

Quicumque autem contra istam ordinationem nostram utilem et honestam attemptare presumpserit ex deliberatione, privationis officii et dignitatis quantacumque gaudeat se noverit puniendum, et per XL dies pene gravioris culpe subiaceat discipline. Si autem subditi in hac parte culpabiles inveniuntur, pena gravioris culpe per XX dies rigide puniantur.

Item fratres ad hoc literati, latinum loqui consuescant, ut, promptiores sint loquendo, sub pena medie culpe.

DE LABORE FRATRUM 8

Ordinamus tempus communis laboris ubi aliquid erit operandum. In estate a missa cantata usque ad terciam, in hyerne ab hora tertia usque ad nonam omnes fratres laborent ad arbitrium prioris, unusquisque in ordine suo vel in opere suo, sub pena gravioris culpe. Nullum tamen opus notabile seu sumptuosum inchoetur nisi de prioris generalis vel provincialis processerit voluntate [et] assensu, sub pena gravioris culpe.

Item fratribus a cella exeuntibus sine iusta causa, negligentibus et garrulantibus, pena gravioris culpe affligantur

Item //263r// ubicumque in domibus nostris laycus assignetur in coquina, qui cibaria fratrum preparat diligenter, ubi commode poterit observari, sub pena gravis culpe transgressoribus infligenda.

DE IEIUNIO FRATRUM 9

Statuimus quod fratres in omnibus vigiliis secundum ordinale nostrum et in omnibus sextis feriis ieiunent in cibo quadragesimali, excepta convenienti necessitate et excepta die veneris in ebdomada pasce, quam nos relinquimus in arbitrio fratrum tam de ieiunio quam de comestione casei et ovorum. Ieiunent etiam in letania maiori et in festo sancti marci evangeliste et per tres rogationum dies, et tunc possunt comedere caseum et ova, excepta feria quarta que est vigilia ascensionis. Cum vero natalis domini in sexta feria venerit, poterunt comedere lactinia et ova.

Per totum adventum fratres nostri ieiunent in cibis quadragesimalibus, sub pena gravis culpe transgressoribus infligenda.

Poterunt tamen fratres [ieiunantes] tempore adventus ieiunante, in comestibilibus se habere secundum consuetudinem regionis, proviso quod ex ipsorum comestionibus scandali materia nullatenus tribuatur secularibus.

[DE COMESTIONE FRATRUM 10]

Si quis vero, contra formam regule, videlicet sine probabili et manifesta necessitate, non habita prioris licentia, carnes comederit pro qualibet die pene gravioris culpe per quinque dies ad minus plenarie subiacebit.

Fratres in secunda mensa comedentes non aliis quam in prima reficiantur alimentis, nisi de licentia

prioris; transgressores uno die a vino abstineant.

Prohibemus etiam ne aliqua pitancia in conventu nisi communis omnibus habeatur, sub pena gravis culpe priori hoc facienti aut permittenti infligenda.

Item fratres nostri carnes non comedant nec detur licentia comedendi nisi secundum formam que in regula continetur.

Nusquam nisi in infirmitorio comedantur nec extra mittantur, sub pena gravis culpe comedenti aut mittenti aut permittenti per X dies infligenda.

Item fratres nostri non comedant nec bibant nisi forte pro aliqua necessitate, preterquam apud religiosos et prelatos, apud quos etiam non comedant sine licentia speciali, sub pena culpe gravis. Tamen prior generalis vel provincialis poterit super hoc dispensare.

DE SILENCIO 11

Statui//203v//mus ut silentium teneatur in claustro, in cellis preterquam in cella prioris, in choro, in refectorio; omnes fratres ubicumque, intra vel extra, in mensa silentium teneant tam priores quam alii, excepto uno qui maior fuerit inter eos vel alio cui ipse pro se loqui commiserit, et tunc ipse taceat. Nullus etiam ibidem loquatur nisi de necessariis mense et hoc per unicam orationem breviter, submisce, et nisi de licentia episcoporum aut electorum aut maiorum hiis seu etiam regum vel prioris generalis. Prior tamen provincialis uni de comedentibus poterit licenciam dare loquendi et cum ceteris fratribus prior in mari poterit dispensare. Si quis autem preter hanc formam in predictis locutus fuerit preter illum qui prior fuerit, abstineat uno die a vino et unam in capitulo recipiat disciplinam.

Caveant etiam fratres a vaniloquio tam in labore quam in aliis locis, precipue prope ecclesiam. Qui vero in hoc reprehensibilis fuerit, pene medie culpe subiacebit. Si vero in consuetudinem duxerit, penam gravioris culpe sustinebit.

In capitulo non nisi duabus de causis loquatur, videlicet culpas suas dicendo et prioribus tantum ad interrogata respondendo, sub pena gravis culpe.

DE MODO LOQUENDI CUM EXTRANEIS 12

Fratres absque licentia prioris infra septa loci cum extraneis non loquantur; transgressores una [?] die in pane et aqua ieiunabunt, assuetis autem pena duplicetur.

Item fratres infra septa loci cum muliere locut[ur]i, habeant socium qui eos audiat et videat et eorum ydioma sufficienter intelligat. Actamen procuratores, expensarios, ianitores, sacristas ab hiis duximus eximendos.

Item statuimus ut nullus tempore comestionis vel dormitionis cum mulieribus habeat colloquium, excepto quod ianitor vel alius de licentia prioris tali hora venientibus compendiose poterit respondere; transgressores pena gravioris culpe puniantur.

Nullus, [nisi] de licentia prioris, cum mulieribus intra septa loci loquatur, nec etiam extra, nisi a socio videatur; multiloquium cum eisdem precipue extirpetur.

Caveant etiam priores ut caute se habeant in assignatione sociorum qui cum mulieribus de sua licentia fuerint locuturi.

DE MODO DORMIENDI 13

Fratres tunica et scapulari super cincti dormiant sub pena gravis //204r// culpe, et itinerantes caligis utantur, nisi prior dispensaverit.

Item nullus tempore dormitionis verbo aut alio modo strepitum faciat, unde dormientes possint

inquietari; transgressoribus penam medie culpe dignum duximus infligendam.

DE CUSTODIA PORTE 14

Prior localis portam custodiat diligenter. Et tempore communis dormitionis tam de nocte quam de die et tempore comestionis serentur porte, et claves a priore vel ab alio cui iniunxerit diligenter custodiantur, sub pena gravis culpe.

DE HOSPITALITATE 15

Priores fratres nostros itinerantes devote recipiant et eisdem secundum laborem suum et fatigationem ac necessitatem maxime in victualibus diligenter provideant nullam paupertatem allegantes, ut karitas et communitas mutuo foveatur; transgressores in adventu visitoris rigide puniantur.

Fratres cum in itinere fuerint et ad tempus comedendi aut hospitandi ad fratres nostros venire possint absque gravamine, ad eos ire non differant, sub pena gravis culpe.

Item fratres non veniant ad hospites vel ad fratres propter consolationem habendam aut propter aliquam necessitatem semotos absque licentia, sed per fratrem ministrantem eis suum negocium mintiment denunciandum; transgressores pene [lege: *pena*] medie culpe puniantur, sed graviori pena assueti.

Nec liceat hospiti extra septa loci exire nisi de licentia prioris apud quem manet, sub pena gravis culpe; nec aliquid emat nisi pro empto precium solvat; nec mutuo accipiat ignorante priore loci apud quem hospitatur, sub pena gravis culpe.

Item fratres simplices ad alios conventus venientes et ibidem delinquentes delicta sua manifesta et notabilia ibidem commissa coram priore locali et conventu tam in capitulo conventuali quam in capitulo post terciam, prout decet humiliter confiteantur, penitentiam condignam recepturi.

Item statuimus quod nulla mulier hospitetur in domibus nostris si sine scandalo poterit evitari, et ne aliquis frater ad mensam earum comedat infra septa ioci, excepta evidenti necessitate, sub pena gravis culpe. Nec aliqua mulier intret chorum quamdiu in ecclesia cantatur divinum officium, nisi ad oblationem. Nec aliqua mulier visitet claustrum, excepta matrona vel aliqua que sine scandalo non potuerit evitari: et tunc cum una comite vel duabus //204v// honestis, sub pena gravis culpe.

Seculares vero [non] diu morentur inter fratres, preter servientes, ne aliqua occasione fama religionis minuatur, sub pena gravioris culpe. Quod si contra factum fuerit penitus revocamus. Poterit tamen prior generalis vel provincialis super hoc dispensare.

DE FRATRIBUS [MISSIS ET] ITINERANTIBUS 16

Statuimus ut fratres missi litteras conductorias habeant tempus missionis et reversionis eorum continentes, et eas prima die cum redierint suo priori sub pena gravis culpe reddere teneantur; et prior similiter impressionem sigilli frangere statim non obmitta[n]t. Fratribus autem inordinate et sine obedientia et litteris testimonialibus sui prioris inordinate euntibus signum nostre professionis per quemcumque priorem auferatur, et ipsi nihilominus cum suis rebus retineantur: prior vero ille priori provinciali non differat intimare. Prior vero qui in oblatione [lege: *ablacione*] signi professionis negligens fuerit, quinque dies in pane et aqua habeat assignatos.

Cum vero egrediuntur fratres plus una nocte moraturi, prostrati ante altare benedictionem recipiant et etiam cum reversi fuerint.

Itinerando, prius [sic] in religione prior sit in itinere, nisi cum exierint aliter a priore ordinetur; nec pecuniara recipiant, nisi de licentia et necessitate. Cum enim alicubi eundem [lege: *eundi*] licentiam

habuerint, illic tantum eant quo eundi licentiam obtinuerint, sub pena gravis culpe.

Qui autem postquam missi fuerint, sine licentia non peracto negotio propter quod mittuntur reverti presumpserint, si per eorum negligentiam steterit vel defectum vel ad alium locum extra viam preter quam ad illum ad quem missi fuerint, nisi manifestum periculum vel evidens necessitas incumbant, graviori culpe subiaceant.

Item fratres equitare non presumant, nisi ex magna necessitate et a suo priore fuerint licentiati, sub pena gravioris culpe per tot dies quodquod ierint equitando.

Item frater non vaeiat nec mittatur solus nisi priori generali videatur e, vpedire aut provinciali et pro magna necessitate, sub pena superiorum auctoritatem usurpantibus infligenda. Si vero duo fuerint missi et unus alium sine causa rationabili reli[n]querit, penam gravioris culpe ad minus X diebus sustinebit. Si autem ex hoc aliquod scandalum evenerit, gravius puniatur secundum //205r// quantitatem et qualitatem delicti.

Item nullus prior localis vadat aut mittat fratres a cl prioratum alterius sine licentia prioris generalis aut provincialis in scriptis sine evirleri necessitate, sub pena gravis culpe.

DE MINUTIONE FRATRUM 17

Minutio fratrum quater in anno fiat: prima in natale domini, secunda in pascha, tertia post festum sancti iohannis baptiste, quarta ante festum sancte crucis in septembri. Ad has quatuor minutiones comedant minuti extra refectorium et habeant recreationes tribus diebus, ubi competenter fieri poterit. Non tamen ultra plimam noctem nisi pro cogenti necessitate a choro se debeant absentare.

In ceteris vero minutionibus comeda[n]t in refectorio, nisi prior cum aliquo debeat micus agere. Nullus quippe minutionem faciat sine licentia, sub pena gravis culpe.

DE FRATRIBUS INFIRMIS 18

Statuimus ut super omnia diligens cura habeatur fratrum infirmorum secundum infirmitatem ac debilitatem eorum, et omnino pro posse nostro eis provideatur; et frater devotus aliunde exoccupatus specialiter assignetur qui eis sciat et possit competenter ministrare. Cum autem horas canonicas dicere non poterunt, eis ab alio dicantur, sub pena gravis culpe.

In quolibet autem loco construatur infirmitorium cum capella, in quo iaceant infirmi et divinorum audiant celebrationem, ubi fieri poterit competenter.

Si vero aliquis frater notabile periculum incurrerit per imprudenciam prioris aut per [im]providenciam procuratoris seu duriciam vel negligentiam ministri, quicumque eorum culpabilis fuerit, pena gravioris culpe rigide puniatur.

Inhibemus etiam ne fratres nostri in domibus secularium custodiantur infirmi, ubi aliter convenienter poterit ordinari.

In nostris etiam locis, ubi frater ceperit infirmari, ibi moram faciat donec convaluerit, nisi de licentia prioris generalis vel provincialis aliter ordinetur.

Districte prohibemus omnibus prioribus sub pena gravis culpe per XX dies integre sustinenda[m], quod non permittant aliquos fratres in suis provinciis existentes uti sciencia medicine, nisi adeo instructi fuerint in predicta sciencia, quod possint sine periculo operari, et quod non possit cedere in ordinis detrimentum vel scandalum.

DE CONFSSIONIBUS FRATRUM 19

Confessiones noviciorum ante receptionem audiantur et etiam ante professionem et de modo confessionis diligenter instruantur. Fratres professi suo priori et etiam novicii con //205v// fiteantur,

vel confessori a priori constituto et non alii, nisi de licentia speciali. Inhibemus districte ne aliquis frater extraneo tam religioso quam seculari confiteatur, nisi in articulo precipue necessitatis.

Noviciis autem nullo modo confessiones extraneorum liceat audire nec etiam fratrum, nisi inevitabili necessitate.

Nulli etiam fratrum liceat sine licentia prioris generalis aut provincialis et prelatorum audire confessiones extraneorum vel aliquid exequi quod ad ordinarios ecclesiarum pertinet, absque eorum licentia[rum] speciali; et tunc quod sit diligenter examinatus et sufficienter idoneus inventus. Aliter autem ad huius modi periculosum officium nullatenus ab aliquo licenciatur.

Nec etiam aliquis coram secularibus presumat predicare nisi licenciatus et examinatus a priore generali vel in capitulo provinciali, sub pena gravioris culpe.

Confessiones autem in domibus nostris in locis manifestis audiantur et in confessionibus extra domus nostras frater a fratre videatur; transgressores pena gravis culpe puniantur, assueti autem gravioris.

Nulli fratri illegitimo vel irregulari[s] cura tradatur animarum nec audire confessiones fratrum vel extraneorum permittatur, nisi super hoc cum eo sufficienter sit dispensatum.

Preterea nullus frater habeat potestatem absolvendi aliquem fratrem a peccato mortali sine licentia prioris; quod si fecerit pro irritato habeatur. Monemus ergo fratres ut culpas dictas in capitulo communi in privata confessione plenius manifestent, ut in forma ecclesie debita absolvantur.

Statuimus etiam ut quilibet confiteatur bis in ebdomada, sub pena gravis culpe. Celebraturus autem missam conventualem sibi provideat ut non conflteatur in altari, nisi forte de aliquo oblito, et tunc compendiose; transgressores vero per negligentiam pene medie culpe, assuetus autem pena gravis culpe subiacebit.

DE COMMUNIONE FRATRUM 20

Communio generalis in anno septies fiet: prima in nativitate domini, secunda in purificatione sancte marie, tertia in pascha, IIII in pentecoste, V in assumptione beate marie VI in nativitate eiusdem, septima in festo omnium sanctorum. In hiis sollempnitatibus nullus frater absque licentia sui prelati a communione se subtrahere presumat. Verumtamen fratres professi, prout eis devotio contul[er]it, diebus dominicis et festis duplicibus communicari poterunt. Communicent etiam in cena domini omnes fratres de manu prelati.

Ordinamus //206r// et volumus ut fratres universi tam clerici quam layci temporibus statutis etiam in maiori missa communicaturi, sacerdote communicato, in stallis suis humiliter genuflectendo communem faciant confessionem; quibus absolutis ministri altaris primo communieent, deinde bini et bini secundum ordinem ad gradum altaris ordinate et reverenter accedant et revertantur sub hac forma: ut dum primi communicant, eos secuturi semper sint parati ante gradum inferiorem: et hoc modo se habeant à primis usque ad novissimos. Ita tamen quod si in fine aliquem imparum contigerit conveniri, socium de inferioribus accipiat qui eundo et redeundo sibi societur.

Quociens autem communicant, de duobus teneatur linteus qui mentis comunicancium submittatur.

Dyaconus vero paratum teneat calicem, vinum comunicatis subministrans ordinate.

Fratres etiam infirmi in infirmatorium intrantes primo confiteantur diligenter et communicent.

DE RASURA FRATRUM 21

Rasura fratrum 17 vicibus fiat in anno: prima in nativitate domini, secunda inter nativitatem et purificationem, tertia in purificatione, IIII et V inter purificationem et pascha partito tempore, VI in pascha, VI [I] inter pascha et pentecosten partito tempore, VIII in pentecoste, IX inter pentecosten et festum sancti iohannis secundum quod tempus requirit, X in festo sancti iohannis baptiste, XI post

festum VII fratrum idibus iulii, XII in festo sancti petri ad vincula, XIII in assumptione beate marie, XIII in inativitate eiusdem, XV in festo patriacharum, XVI in festo omnium sanctorum, XVII in festo sancti andree.

DE VESTIMENTIS FRATRUM 22

Vestimenta fratrum lanea sint et vilia unius [cuiusque] forme, videlicet ut habeant tunicas rotundas usque ad talos [descen]dentes, et capucia usque ad mecliam tybiam.

Statuimus ut fratres cerebrantes vel celebrantibus ministrantes in missa conventuali scapularibus utantur subtilibus de panno griseo et honesto, albis scapularibus intus et extra penitus interdictis. Fratres etiam in tunica et scapulari griseo dormniant supracincti

Liceat fratribus itinerantibus et aliis qui indiguerint uti femoralibus, ita tamen quod per priores licentiam habeat, sub pera gravis culpe; et intra laventur per fratres vel nuncios vel extra per nuncios.

Professus vero habeat tantum unam cappam, que est nostre religionis signum, qua utatur in capitulo et ante portam et in summa missa, et, secundum quod dominus dederit, necessitatibus singulorum //206v// provideatur et subveniatur.

Priori autem provinciali ac eius socio pro vestiario et expensis necessariis singulis annis per apitulum provinciale provdeatur. Fratri etiam cuilibet quatuor tunice et duo capucia sufficiant, ubi loci suppetit facultas. Illi autem qui paucioribus voluerint et potuerint [esse] contenti, cum benedictione dei concedatur. Si aliqua (?) necessitas exigerit, prior addendi indigentibus et auferendi super habundantibus habeat potestatem.

Fratribus mutantibus locum sufficiant ad portandum tres tunice et duo capucia per licentiam prioris procurate a parentibus aut amicis.

Cappas et scapularia de panno subtili et composito, almucias de panno tincto omnino non habeant. Layci vero omnino almucias deponant clum divina celebrantur in ecclesia et coram magnatibus et prelatibus suis et aliis. Nec etiam novicii layci almucias utantur, nisi fuerint clerici venerabiles persone et mature.

Statuimus ut pueri seculares fratribus servientes et quibus a fratribus in vestibus providetur, non induantur panno aliquo radiato vel virgato, sed pannis nostris consimilibus, curiositatem non pretendentibus sed potius honestatem.

DE CALCIAMENTIS FRATRUM 23

Nullus habeat botas nisi rationabili causa et tunc cum illis extra terminum loci [non] procedat, sed calciamentis ligatiis u[n]tantur universi, sub pena gravis culpe.

DE RECEPTIONE NOVICIORUM 24

Quoniam de receptione noviciorum maxime necessaria est, discretio, venientes ad nos novicii antequam recipiantur diligenter requirantur an sint coniugati, an ratiocioniis obligati, an alicuius religionis nostre conditionis vel cisterciensis ordinis professores. Qui si tales fuerint, non recipiantur, recepti autem in posterum penitus expellantur, et recipientes et consencientes pena, gravis culpe per XL dies rigide puniantur. Professores autem cuiuslibet religionis possessionem habentis, nisi constet de moribus eorum et fama, minime recipiantur. Si vero aliqua heresi quocumque nomine censeatur vel de fide catholica habiti fuerint suspecti, nullatenus admittantur.

Item nullus expulsus pro quocumque vicio a nostro ordine vel ab alio recipiatur scienter, sub pena gravioris culpe per XL dies //207r// transgressorius infligenda, et sic receptus expellatur.

In receptione autem fratrum requiratur utrum habeant aliquam infirmitatem celatam vel membrum aliquod mutilatum vel usum membri aut sensum aliquem amiserint vel deformitatem aliquam in corpore apparentem; que si omnia aut aliquod predictorum habuerint, non recipiantur et recepti eiciantur, sub pena gravioris culpe per XL [dies] tam recipientibus quam consencientibus infligenda. Nec etiam aliquis infra etatem XVI annorum ad professionem recipiatur.

Et cum recipiendi fuerint, ducantur in capitulum: qui cum adducti fuerint prosternant se in medio capituli. Interrogati a priore quid querant, respondeant *miserencordiam dei et vestram*.

Quibus ad iussum prioris erectis, prior exponat eis asperitatem et paupertatem religionis, et maxime exponat eis illos tres articulos tocius religionis, scilicet si post receptionem habitus omni tempore vite sue proponant caste vivere et sine proprio et in obedientia. Hiis expositis, requirat voluntatem eorum. Qui si respondeat cuncta se velle observare et seculo abrenunciare, dicat prior post cetera: *Deus qui incipit* [lege: *incipit*] in nobis ipse perficiat. Respondeant fratres: *amen*.

Qui vero laycus intraverit in religionem nec litteras discat nec coronam nec libros ad proprium usum nisi ei a patre generali aliqua causa rationabili super hiis gratia concedatur.

Ante receptionem huiusmodi expeciant se de omnibus que habent, ne qui, dyabolo instigante, in pecunie adminiculo confidentes, ad ieculum redeant. Et si aliquam eleemosinam nobis facere voluerint nulla super hoc admonitione prehabita, non recipiatur a fratribus, sed ipsi, existentes in habitu seculari ducantur ad nostre religionis creditores et ibi manu propria aliqua debita fratrum persolvant, secundum quod eis placuerit.

Roba eorum custodiantur usque ad professionem, nisi de voluntate et assensu ipsorum aliter disponatur.

Monemus etiam ut priores novicios recepturi vestimenta sua de propria sua pecunia ementes vel undecumque procurantes ei[s] dent intelligi omni iuri si quid habuerint predicta vestimenta postulandi renunciare debeant; et si recepti //207v// ab ordine resilierint, cum vestes religiosas portare non deceat seculares, et abrenunciare voluerint [lege: *noluerint*], nullatenus admittantur. Nolumus enim quod aliquis novicius ab ordine nostro recedere permittatur nisi in habitu seculari. Expediit vero et [lege: *ut*] tonsio crine et secularibus depositis vestibus, indutis religiosis, in nostram societatem admittantur.

Recepti vero se prosternant ante altare et ceteri fratres cantent in stallis suis sollempniter ymnum *Veni creator spiritus*, in receptione primi versus genuflectendo tantum. In fine *kyrieleison*, *christeleison*, *kyrieleison*, *pater noster*, et *ne nos*, v. *manda deus uirtuti tue*, v. *salvum fac servum tuum*, v. *esto ei domine turris fortitudinis*, v. *nihil proficiat inimicus in eis*. *Dominus vobiscum*. *Oratio Deus qui corda*. *Oremus*. *Deus qui iustificas impium et non vis mortem peccatoris, maiestatem tuam suppliciter deprecantur, ut hos famulos tuos de tua misericordia confidentes celesti protegas benignus auxilio et assidua protectione conserves, ut tibi iugiter famulentur et nullis temptationibus a te separentur*. *Per Dominum*. *Oratio*. *Omnipotens sempiterne deus qui facis*. Postea recipiantur ad osculum pacis et collocentur in locis suis.

Nullus infirmus secularis recipiatur in ordine nisi perseverandi firmam habuerit voluntatem, nisi sit inevitabilis vel persona cuius admissio non poterit sive magno dampno vel scandalo denegari.

Probationis tempus statuimus per annum integrum, ut novicii austeritates religionis et fratres mores eorum experiantur. Nulli autem ad professionem admittantur nisi de salute animarum suarum inveniantur solliciti. Nulli autem ad professionem recipiantur, nisi a priore generali vel provinciali vel ab eo cui priore generalis vel provincialis super hoc licentiam dederint.

Ille, habita huiusmodi licentia, nisi de consensu maioris et sanioris partis sui conventus, ad noviciatum vel ad professionem aliquem non admittat, sub pena gravioris culpe per XL dies infligenda. Poterit tamen prior generalis vel... videbitur eis expedire ad novi//208r//ciatum recipere et etiam ad professionem quoad fratres causa irrationabili contradicunt.

Item nullus clericus recipiatur nisi probabiliter litteratus vel saltem in officio ecclesiastico sit instructus sufficienter et ad cantandum et ad legendum habilis et ydoneus nec etiam aliquis laicus

nisi in arte mechanica ordini nostro necessaria sit sufficienter instructus et exercitatus sub pena gravioris culpe per XL dies recipientibus infligenda, nisi dampnum inevitabile huiusmodi inhibitionem merito valeat excusare. Novicii[s] autem ydoneis et ordini necessariis cappa in omnibus locis preterquam in capitulo acomedetur (?) a priore generali aut provinciali cum viderit expedire' Secretis capituli non intersint novicii.

Monemus ut priores discrete se habeant erga novicios tam in penitentiis iniungendis quam in aliis, ita quocumque non permittant redargui ab aliquo nisi a magistris specialiter sibi assignatis.

Item nulli novicio tradatur officium nisi pro magna necessitate. Clerici novicii in tempore probationis sint in divino officio intenti addiscendo, et ipsi tam clerici quam layci magistrum habeant qui eos in ordine suo introducat et moribus instruat et informet; et transgressores per VII dies gravi pena puniantur.

Si quis novicius exierit de nostra religione et redierit, si receptus fuerit, reincipiat annum sue probationis et totum compleant in probatione, nisi ei renunciari iuri suo super hoc a priore generali vel provinciali ad suam instanciam huiusmodi gratia concedatur: videlicet ut residuum anni complendi complere non teneatur.

Ordinamus etiam quod omnes priores provinciales sint diligentes in receptione noviciorum clericorum pro provincia terre sancte, et suos subiectos ad hoc inducant quos ad hoc specialiter viderit in diversis conventibus ordinandos.

RUBRICA QUOD IN NOVICIATU NULLUS ORDINETUR

Nullus ante professionem aliquem ad ordines faciat promoveri, sub pena gravioris culpe per XL dies infligenda, nec etiam post professionem, nisi per licentiam prioris generalis vel provincialis. Qui ordinari permiserint sub pena gravioris culpe per XL dies puniendos et ab ordinis sic suscepti //208v// executione ipso facto sit suspensus, quousque a capitulo generali vel priore generali cum eo fuerit misericorditer dispensatum.

Si enim laycus quoquo modo se ordinari fecerit vel permiserit sine licentia prioris generalis, carceri mancipetur donec a priore generali aliter ordinetur. Si quis in apostasia vel excommunicatione ordinatus fuerit vel divina celebrare presumpserit, gravior[i] culpe per XL dies plenarie subiacebit, et non nisi per diuturnam et laudabilem conversationem et habitam dispensationem a priore generali vel ab eo cui auctoritatem super hoc concesserit, suo officio fu[n]gatur. [Forma faciendi professionem].

De forma faciendi professionem [26]

Novicius indutus tunica sine capucio, ponat manus suas inter manus prioris et dicat: *Ego frater N. facio professionem et promitto obedientiam deo et beate marie et tibi frater N. priori generali fratrum heremitarum ordinis beate marie de monte carmeli tuisque successoribus secundum regulam et constitutiones predictorum fratrum usque ad mortem.*

Benedictio habitus [27]

Domine ihesu, auctor virtutum et amator penitentium qui maxime humilitatem, castitatem et paupertatem cum omnibus ceteris virtutibus corporaliter in mundo elegisti et peccatores ad penitentiam misericorditer vocasti, et omnes fideliter convertentes pie suscepisti, tuam ineffabilem misericordiam suppliciter exoramus, quatinus hunc habitum benedicere et sanctificare digneris; et concede propicius, ut quicumque illum devote in signum sancte conversationis gestaverit, cum veste candida et immaculata ante tribunal tuum in sanctorum agmine glorificatus, in die iudicii valeat apparere. Qui cum patre.

Postea prior, tradendo ei habitum, dicat:

Accipe hunc habitum in remissionem peccatorum tuorum et sancte religionis augmentum. In nomine patris, et filii et spiritus sancti.

Sequitur oratio super fratrem sine Dominus vobiscum.

Dominus ihesus christus, pater misericordiarum et consolatio peccatorum, qui dixit: nolo mortem peccatoris sed ut magis convertatur et vivat, et qui non venit vocare iustas sed peccatores ad penitentiam, ipse te H. sua ineffabili misericordia et inolita pietate ad veram cordis contritionem vocet et gratiam devote penitentiae inspiret, //209r// ut digne habitum sancte professionis valeas accipere et votum tue professionis et promissa sancti ordinis adimplere, ac in suo sancto servicia pervenire. Qui cum patre et spiritu sancto

Deinde aspergatur aqua benedicta, postea ducatur in chorum et ante altare iaceat prostratus, aliis fratribus stantibus in stallis suis et sollempniter cantantibus te deum laudamus.

Deinde prior, stando ad pedes professi, dicat: v. Manda deus virtuti tue. v. Salvum lac servum tuum. v. Esto ei domine turris fortitudinis. v. Nichil proficiat inimicus in eo et filius iniquitatis non apponat nocere ei. v Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. oremus. Deus qui corda fidelium sancti spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere et de eius semper consolatione gaudere.

Oremus. Deus qui iustificas impium et non vis mortem peccatoris, maiestatem tuam suppliciter deprecamur, ut hunc famulum tuum de tua misericordia confidentem celesti protegas benignus auxilio et assidua protectione conserves, ut tibi iugiter famuletur et nullis temptationibus a te separetur.

Oremus. Concede nos famulos tuos, quaesumus, domine deus, perpetue mentis et corporis salute gaudere, et gloriose beate marie semper virginis intercessione, a presenti liberari tristitia et futura perfrui leticia. Per christum dominum nostrum. Amen

Postea ducatur ad altare et osculetur illud deinde fratres, et colloce[n]tur in loco suo.

QUOD REGULA QUATER IN ANNO DEBET EXPONI FRATRIBUS

Regula nostra quater in anno exponatur vulgariter laicis, professis et noviciis, scilicet in quadragesima, circa festum marie magdalene, post exaltationem sancte crucis et in adventu; sub pena gravis culpe.

DE PRIORE LOCALI ET SUBPRIORE 28

Prior localis in agendis suis trium fratrum per conventum electorum utatur concilio; quod si in unum omnes fratres convenire non possint, ad conventum recurratur, nisi aliquid tale fuerit quod consilio non indigeat.

Statuimus ut in omni loco ubi fuerint XXIII fratres vel plures de conventu, //299v// subprior habeatur qui regat et corrigat ipsum et sequatur; et hoc et alia faciat prout prior disposuerit.

Prior generalis aut provincialis alicuius loci prioratum non teneat nisi pro necessitate; sed communiter omnibus, prout commodius poterit, provideat.

DE CAPITULO CONVENTUALI 29

Capitulum conventuale in qualibet septimana ad minus semel teneatur, sub pena gravis culpe, ubi excessus fratrum diligenter corrigantur. Pulsato signo convenient fratres festinanter ad capitulum. Quibus congregatis, post lectionem dicat qui tenet capitulum: *benedicite*; et respondeant fratres: *dominus*. Deinde inclinent se omnes continuo. Et qui se reos intellexerint, prostrati veniam petant. Deinde surgentes culpas suas humiliter confiteantur. Et quorum culpa talis est que digna est

correctione, preparent se ad correctionem. Quam correctionem faciat qui preest capitulo vel cui ille iniunxerit.

Priores autem capitulis presidentes, licet per se penitentias scripta, possint iniungere, tamen propter pacem fratrum et suam. cum pena gravioris culpe alicui sit infligenda, in absentia fratris de quo agitur, culpam et eius penam conventui declarat [lege: *declarent*]. Deinde sine omni contradictione, ut prescriptum est fratri revocato penitentiam iniungant.

Fratres clerici cottidie reddant culpas in choro perpetratas post terciam absentibus laicis, nisi in festis duplicibus et totum duplicibus. Novicii dicant primo; qui statim eorum culpis auditis et penitentiis iniunctis debent se absentare.

Item statuimus et precipimus sub pena gravioris culpe ut fratres sint ita adiutorium, tam in capitulo quam extra capitulum, suis prioribus contra fratres rebelles et contumaces et insurgentes adversus eos et, si necesse fuerit, eos capiendo, ligando et incarcerando: inhonestum enim est et maliciosum in tali casu obmutescere fratres et suo priori, patri scilicet spirituali, temere conviciantes unico verbo nolle increpare.

Item inhibemus ne fratres secreta cuiuscumque capituli revelent unde aliqui[s] scandalizari poterit; et maxime culpas pro quibus satisfactum est fratribus cui [lege: *qui*] non interfuerint cum deliberatione aude[n]t revelare, sub pena gravis culpe. In virtute sancti spiritus et obedientie.

[mancano due ff nel manoscritto originale da 210r a 211v]

[DE MINANTIBUS CARPITAM PROICERE VEL EAM
PROICIENTIBUS ET APOSTATIS 35]

//212r// subiacebunt.

Qui autem signum professionis subiecerit et protius reacceperit, per V dies eandem penam sustineat. Qui vero proiecerit et extra portam loci exierit et statim redierit, per X dies supradictam penam sine signo nostre professionis sustineat: tamen locum et vocem non amittat.

Qui vero extra septa loci sine cappa sive cum cappa absque licencia sui prioris per unam noctem moram fecerit [et] in crastina vel in die tertia redierit, prior localis ipsum in loco secreto ab aliis fratribus sequestratum unica vice tantummodo retineat quousque a priore provinciali super eius receptione et penitentia litteratorie habuerit mandatum speciale. Si vero ultra tres dies extra ordinem nostrum moram fecerit et redierit, nullus prior localis eum retineat, sed cum litteris sui prioris localis diem exitus sui ab ordine declarantibus ad priorem provincialem accedere teneatur. Si enim per V dies moram fecerit, XV diebus, si autem per VII, XX diebus eidem pene subiacebit, et sic deinceps secundum maiorem moram iuxta discretionem prioris magis puniatur et numerus dierum augeatur. Quod si iterum, instigante dyabolo, recesserit et redierit, cum maiori difficultate recipiatur, si priori videbitur expedire et penitentiis super hoc aggravatis vilior habeatur. Qui ultra XL dies moram fecerit, per XL dies eandem penam sustinebit et recipiatur ut novicius, ut per eundem annum careat signo professionis, et in omnibus sectis feriis per annum integrum pene gravioris culpe integre sustineat comedens in terra panem et aquam, nisi prior ei aliquid per misericordiam impendere voluerit, et post completorium coram conventu in choro recipiat disciplinam. Peractis vero XL diebus, in capitulo absolutus ad conventum redeat non obstante abiecta penitentia, videlicet quod debeat recipi ut novicius et ieiunare sextis feriis vel etiam quod eiusdem [lege: *eisdem*] sextis feriis in choro coram fratribus recipere debeat disciplinam.

Priores provinciales poterunt fugatos suos recipere ad scriptam penitentiam, nisi pro aliquo a generali fuerit specialiter interdictum. Alterius vero provincie nequaquam, nisi de licentia vel mandato prioris generalis. Transgressores a priore generali vel a visitatore suo vel etiam in capitulo generali rigide punia[n]tur.

Prior generalis ad se venientes sine obedientia de facili non recipiat et, si eos //212v// receperit,

taliter eos puniat de excessu, ut ceteri similia facere terreantur. Si quis, acceptis dimissoriis litteris ut ad aliam obedientiam se transferat, si licenciatus fuerit et a nostra sit obedientia absolutus, si redierit, de facili non recipiatur. Tamen si priori generai videatur eius receptio expedire, recipiatur ut novicius. Nullus habeat potestatem dandi litteras dimissorias preter priorem generalem.

DE LAPISIS IN PECCATUM CARNIS 36

Si quis in peccatum carnis lapsus fuerit, quod gravius ceteris est, ipsum ad minus XL dies puniri censemus, et qualibet sexta feria per annum integrum pena gravioris culpe integre sustinebit, et post completorium coram fratribus in choro se nudum presentabit ut recipiat disciplinam.

DE APOSTATIS ET GRAVITER PERCUCIENTIBUS 37

Omnis apostata per violenciam per XL dies carceri mancipetur. Sive conspirator vel lapsus in peccatum carnis vel litterarum nostri ordinis falsarius vel omnis graviter percuciens in tota vita sua vocem amittat in capitulo et locum sui ordinis ultimum teneat, neque aliquod officium ei committatur prioratus aut procurationis, nisi ei super hoc a generali capitulo ex misericordia tantummodo concedatur. Poterit tamen prior generalis per assensum cuiuslibet provincialis et locum huic et vocem restituere post conversationem laudabilem et penitentiam nichilominus in constitutionibus scripta[m] et completa[m], cum ei videbitur expedire, tempore quo fuerit extra ordinem sibi minimo [lege: *minime*] computato; nec nulli super hoc credatur, nisi de huiusmodi dispensatione habuerit litteras testimoniales. Idem dicimus de qualibet licencia notabili impetrata.

Omnis lapsus in peccatum indiscibile et probatus et con-victus intrudatur in carcere per tempora longiora, et in odium et detestationem tanti criminis postmodum ab ordine expellatur, nullatenus recipiendus postmodum per quemcumque.

De lapsis autem in alia peccata carnalia ista ordinatio observetur: quod si peccatum tale secularibus notum fuerit et scandalizata religio extiterit, per annum in carcere teneatur; si vero scandalum non fuerit secularibus notum, per XL dies in carcere rigide puniatur et [cum] etiam loco et voce privatus per totum annum sextas ferias ieiunando et disciplinam recipiendo, quousque per condignam et laudabilem conversationem a tanta diffamia et peccato fuerit expiatus, pre ce//213r//teris vilior habeatur.

In qualibet provincia carceres habeantur secundum quod priori provinciali videbitur expedire ad edomadum rebelles et insolentes ordinis nostri.

Statuimus quod abutentes sigillo prioris generalis seu aliorum priorum simulque utentes falsis litteris pena gravioris culpe per XL dies puniantur.

DE PROPRIETARIIS ET THESAURIZANTIBUS 38

Statuimus et firmiter precipimus ut si quis proprietarius inventus fuerit et publica attestazione convictus, deposito signo professionis nostre a priore generali vel provinciali carceri mancipetur. Si vero sponte confessus fuerit, pene gravioris culpe subiaceat et gravius ceteris puniatur culpis. Si quis autem reus absque manifestatione obierit, extra cymiterium fratrum viliter absque ullo officio sepeliatur. Qui autem rem sibi collatam celaverit scienter et sponte confessus fuerit, graviore pena puniatur.

Caveant autem fratres ne thesaurizare vel pecuniam reservare presumant, nisi aliqua causa notabili et necessitate que sine notabili gravamine fratrum nequeat evitari. Nullus recipiat pecuniam sine licentia prioris.

Item statuimus ut nullus pecuniam teneat nec bursam portet preter bursam ad vaginam, vel aliquod

genus monete vel aliquid aliud aureum vel argenteum vel quodcumque preciosum priores vel procuratores in custodia non recipiant nisi de consilio et assensu trium fratrum eiusdem conventus fide dignorum.

Caveatur autem ne aliquid recipiatur in custodia nisi prius a recipiente et dictis tribus fratribus videatur, ita quod, si sit moneta vel aliud numerabile, numeretur, ponderabile ponderetur et mensurabile mensuretur, sub pena gravioris culpe.

DE COMPOTIS REDDENDIS [39]

Statuimus quod prior generalis vel eius vicarius [et] capitulo generali de receptis et expensis pro negociis ordinis exequendis rationem reddat. Idem etiam faciant priores provinciales in suis capitulis provincialibus et locales in suis capitulis conventualibus et procuratores in suis domibus. Statuimus etiam quod in qualibet domo eligantur tres fratres qui custodiant res commodatas.

DE FURIBUS ET EORUM PENA [40]

Qui res religionis furtive asportaverit, secundum quantitatem et qualitate[m] rei competens penitentia in predictis de apostatis, conspiratoribus vel lapsis in peccatum carnis, secundum dicta superius, assignetur seu addatur.

DE RECEPTIONE PROVINCIALIUM ET VISITATORUM [41]

Statuimus et precipimus ut fratres devote et honorifice, statim et sine contradictione //213r// suos priores provinciales recipiat [...] eos transmissos a priore generali vel a vicario generali ex ordinatione et assensu diffinitorum capituli generalis; et priores conventuales a priore provinciali vel a vicario prioris provincialis mortui vel absoluti ex ordinatione capituli provincialis; vicarios vel visitatores a priore generali vel a suo vicario vel a provincialibus vel ab eorum vicariis destinatos, et debitam eis faciant obedientiam: quod si non fecerint ipso facto iudicamus eos conspiratores et pena conspiratorum puniantur.

Prior autem generalis vicarios vel visitatores, cum ex certa necessitate sibi videbitur expedire, ad provincias universas et singulas et sine omni contradictione poterit destinare, qui eius vices secundum quod ei[s] commiserit valea[n]t exercere.

Si autem provincialem aliquem tali infirmitate detineri contigerit quod ea que [ad] eius officium pertinent exequi non valeat, ordinet alium quem[cumque] sue provincie fide dignum et discretum, qui eius vices secundum quod ei commiserit valeat exercere.

Statuimus ut visitationes provinciarum fiant per provinciales vel per quos ad hoc dignum duxerit destinandos; ordinantes quod omnibus vicariis et visitoribus missis a prioribus generalibus et provincialibus visitandi tempus et potestas ab ipsis concessis [lege: *concessa*] litteratorie limitentur, et quod predicti vicarii seu visitatores prioribus provincialibus et conventualibus de sua potestate faciant copiam cum ab ipsis fuerint requisiti.

DE CASIBUS GENERALIS ET PROVINCIALIS [42]

Hec generali priori specialiter sunt reservata: litterarum dimissoriarum concess[i] fugatorum cuiuscumque provincie receptio.

Hec autem prioribus provincialibus sunt reservata, videlicet: iniunctio penitentiae super iniunctionem manuum et ab eadem absolutio, noviciorum receptio ad professionem et professorum ordinatio,

cape acomodatio, visitoris officium facere, excepto scrutini[o] localibus prioribus reservat[i]o, fugatorum receptio, locorum admissio de consensu capituli provincialis, litterarum confraternitatis concessio, et quod nihil sumptuosum inchoetur seu ematur ipsis inconsultis, et consimilia in quibuscumque constitutionibus reservata.

Nullus auctoritatem sui superioris sibi non concessam audeat usurpare, transgressores pene gravioris culpe per XL dies volumus subiacere.

DE CAPITULO PROVINCIALI [43]

Capitulum provinciale singulis annis fore duximus celebrandum. //214r// Omnes autem priores locales et vicarii priorum mortuorum vel absolutorum et curatores novorum locorum vel eorum subrogati ad capitulum veniant provinciale singuli cum uno socio in suis capitulis rite ac fideliter electi [lege: *electo*], qui fratrum omnium vocem et auctoritatem habeat ad ea que erunt agenda tamquam si omnes personaliter interessent ita quod in electione huius et ceteris electoribus [lege: *electionibus*] conventualibus prior habeat primam vocem; quo electo, ad custodiendam domum iterum, et quocienscumque ob aliquam causam priores huius extra terminos provincie sue de licentia sui prioris provincialis vel ordinatione capituli provincialis exire contigerit a conventu, vicarius eligatur.

Statuimus autem quod quilibet prior conventualis veniens ad capitulum provinciale deferat in scriptis, suo socio sciente, res notabiles domus et debita et statum domus priori provinciali et diffinitoribus capituli provincialis presentanda. Prior provincialis omnia redigat in scriptum unum et secum portet in visitatione, et eadem scripta prioribus localibus reddere non omittat.

Nullus intret capitulum provinciale nisi compleverit duos annos nostre religionis anno probationis computato, neque aliquis voce carens. Nullus laicus intersit capitulo provinciali vel generali: et debet tantummodo ex prioribus locorum et procuratoribus et eorum sociis, absente conventu loci, cum priore provinciali cum unico eius socio capitulum provinciale celebrari. Tamen prior generalis cum suis sociis et eius vicarius cum uno socio, sive visitor, cum aliquis istorum presens fuerit, in tali capitulo debet presidere.

Prior autem generalis absolutus, si ad capitulum provinciale accedere voluerit, sit de gremio capituli et intersit diffinitioni.

Statuimus quod socii priorum provincialium et priores provinciales seu vicarii in capitulo generali absoluti, redeuntes de capitulo generali, intersint primo capitulo provinciali in sua provincia celebrando. Statuimus etiam quod socii priorum provincialium redeuntes de capitulo generali una cum vicario illius provincie ingrediantur capitulum provinciale proxime celebrandum, et omnibus ibidem agendis canonice intersint.

Cum autem dies assignatus advenerit, non obstante alicuius vocati quacumque occasione se absentantis absentia, capitulum generale [lege: *provinciale*] celebratur sub hac forma. Prioribus [autem] localibus et vicariis priorum mortuorum vel absolutorum et procuratoribus cum sociis suis in capitulo provinciali fiat simul congregatis primo sermo. Post sermonem fiat commemoratio fratrum in illo anno defunctorum et dicatur //214v// ps. *De profundis. Pater noster. V. a porta. V. Credo videre. Dominus vobiscum. Oremus. Absolve etc. Deinde cantato ymno sollempniter Veni creator, v. Emitte spiritum. Oremus. Deus qui corda.*

Deinde fiat scrutinium utrum si omnes canonice venerint: quod si aliquis aliter in capitulo venerit, non intersit capitulo seu agendis. Statim quatuor de discretioribus capituli eligantur hoc modo: singuli fratres qui in capitulo fuerint coram provinciali et locali sigillatim quatuor fratres secreto nominando eligant, et ipsi priores dicta singulorum fideliter conscriba[n]t et sic in eodem loco antequam ab invicem discedant scriptum in medium publicent: et qui plures voces habuerint, diffinitores in illo capitulo erunt. Ita tamen quod nullus frater in duobus capitulis sibi immediate succedentibus diffinitor habeatur in utroque. Idem statuimus ordinari de diffinitoribus capituli

generalis nisi contingat ipsos socios in via deficere vel mori: ita qui de tribus subvixerit, diffinitor in capitulo habeatur.

In quolibet capitulo provinciali prior provincialis una cum diffinitoribus audiat culpas priorum localium et aliorum excessus notabiles si qui ibidem fuerint corrigenda. Poterit tamen prior provincialis quemlibet excessum fratrum suorum quando voluerit in capitulis localibus emendare vel capitulo provinciali corrigendum reservare. Caveat tamen ne aliquem notabilem excessum in capitulo conventuali corrigan[t] dummodo capitulum provinciale fuerit infra quindenam celebrandum. Poterit etiam quilibet frater tam in capitulo provinciali quam generali licet eorum secretis non debea[n]t interesse, excessus suos confiteri vel saltem eosdem diffinitoribus manifestare et statim, condigne penitentiae sententia recepta, recedere.

Debent etiam negocia provinciae in hoc capitulo pertractari, corrigi et emendari et etiam ordinari. Poterunt etiam ibidem ordinationes provinciae specialiter necessarie, regule et constitutionibus capituli generalis non obviantes vel obstantes, constitui, de capitulo ad capitulum ad minus dura[re].

Mortuo priore provinciali cuiuscumque provinciae, ex electione capituli provincialis vicarius idoneus procuretur. Capitulum autem provinciale predicti vicarii electione[m] sub sigillo communis provincialis capituli mittat priori generali quam cito poterit presentandam, qua presentata et ab ipso recepta, prior generalis predictum vicarium illi provinciae auctoritate sua.

[DE CULPIS 48]

//215r// [...] deprehensus fuerit. Si quis, ut in nimis locuendo fieri solet iurare consueverit; si quis sussurro vel detractor vel manifeste mendax vel ebriosus inventus fuerit; si quis ieiunia consueta fregerit vel cellam suam mulaverit vel cum alio permutaverit; si quis cellam alterius intraverit sine evidenti necessitate et sine licentia: per [lege: *pro*] huiusmodi culpis et hiis similia veniam petentibus et non accusatis due correctiones dentur in capitulo et duos dies in pane et aqua ieiunent: accusatis vero una dies et una correctio super addatur. De cetero psalmi, secundum quod priori visum fuerit, pro qualitate culparum iniungantur. Si quis autem vestes vel aliquid aliud sine licentia prioris ab extraneis et notis querat vel recipiat, predictam penam sustineat.

Statuimus etiam ut fratres per penitentiam panis et aque comestionis deputatis diebus sibi assignatis, coram conventu in ultimo loco mense comeda[n]t nec audeant sine licentia prioris illam procrastinare; transgressoribus pena duplicetur.

Gravior culpa est si quis per contumaciam vel manifestam rebellionem inobediens prelo suo fuerit, vel si cum eo intus vel foris superbe conviciando proterve contendere ausus fuerit, aut si preceptum vel mandatum eius obmiserit. Si quis de suo priore vel ordine nostro alicui prelo vel potestati seculari conquestus fuerit; si quis crimen capitale commiserit ut est furtum, sacrilegium vel aliquid huiusmodi; si publicatus negare nequiverit et veniam petens sui sceleris immanitatem lamentabiliter proferat et denudatus, ut cum dignam suis meritis accipiat sententiam, recipiat disciplinam: qua accepta a priore redeat ad cellam sibi assignatam. Cum vero tempus comestionis fuerit, intret in refectorium et aqua et pane coram omnibus super asserem nudum in terra in medio aree humiliter vescatur, nisi prior aliquid ei per misericordiam impenderit. Ad omnes vero has horas et gratias veniat ante oratorium et transeuntibus fratribus prostratus iaceat quousque intraverint et iterum exierint, si fieri potest. Nullus se audeat iungere illi nec ille alteri nec ei aliquid mandare, ut cognoscat ita se sequestratum a consortio aliorum, quo privetur, nisi per penitentiam redigerit ad consortium angelorum. Ipse tamen prior, ne in desperationem labi possit, secunda vel tertia et etiam alias quando sibi videbitur //215v// expedire mittat ad eum sanctiores qui eum moneant ad penitentiam humiliter faciendam, foveant eum per compassionem, adiuvent per suam intercessionem. Ille talis quamdiu fuerit in hac penitentia non communicet, nec veniat ad osculum pacis, nec ulla committatur obedientia ante plenariam satisfactionem gravioris culpe, et cuiuslibet

ordinis fuerit suo officio non fungatur.

Statuimus quod omnis apostata aut conspirator vel lapsus in peccatum carnis vel litterarum ordinis nostri falsarius et etiam illi per quorum excessus religio nostra inter seculares scandalizata constiterit, pene gravioris culpe actenus consuete, plenarie tenebitur subiacere. Illi autem per quorum excessus religio nostra inter seculares scandalizata fuerit, penam gravioris culpe subiacebunt totaliter, excepto quod ad portam, id est ad hostium oratorii, prostrati iacere minime teneantur.

Gravissima culpa est incorrigibilitas eius qui non timet committere culpas et penitentiam recusat facere, de quo est preceptum beati augustini ut, etiam si non abscesserit, de nostra societate proiciatur, et secundum apostolum qui hereticum hominem post correctionem habitam et incorrigibilitatem patefactam vitare iubet tamquam peccantem peccatum ad mortem, quia subversus est qui eiusmodi est. Hac quidem data sententia a priore generali vel provinciali vel a capitulo generali vel provinciali, et signo nostre professionis deposito, recedere compellendus est, si tamen sani capitis est et extiterit vel boni sensus et integri: ita sicut a corde professionem abiecit, sic a corpore professionis signum deponere cogatur.

Nulli vero sub qualibet occasione detur licentia redeundi, ne ordo noster et canonica disciplina veniat in contemptum, dum habitus religionis canonicè despicitur ab indignis.

Statuimus quod assuetis levii[s] culpe levis mutetur in mediam; assuetis medie culpe mutetur in gravem; assuetis in gravi, gravior aggravetur.

Si quis autem penitentias prescriptas vel aliquam ordinis nostri disciplinam vel obedientiam facere recusat, prior provincialis habeat auctoritatem post trinam ammonitionem ipsum excommunicandi, capiendi, ligandi, incarcerandi: ut quod spontefacere noluerit, faciat vel invitus. Si autem huic rebellionem fuerit assuetus, tamquam incorrigibilis a nostra religione expellatur.

Si vero talis vel aliquis alius, absente priore provinciali, manifeste vel furtive exire voluerit absque licentia, //216r// prior localis habeat potestatem ipsum retinendi etiam invitum, quousque provinciali significetur et ab e[od]em habuerit super hoc mandatum.

Prior qui constitutiones non servaverit et in correctionibus communiter secundum statum ordinis reperti [lege: *reperitus*] fuerit negli[g]ens, eandem penam sustineat quam sustinere deberent subditi delinquentes.

[DE FRATRIBUS DECEDENTIBUS ET DE LIBRIS EORUM, 49]

Statuimus ut prior localis obitum cuiuslibet fratris in suo prioratu decedentis priori provinciali sine dilatione significet, et prior provincialis absque omni negligentia ceteris prioribus sue provincie illud idem satagat nunciare.

Item volumus ut in omnibus cimiteriis nostris frafruis [lege: *fratres*] ordinis nostri a secularibus semoti [sic] sepeliantur, ut monumenta eorum ab aliis valeant discerni ut decet.

Statuimus ut propter dispendium et omissionem que ex primo modo proveniebat, ut amodo proveniebat [?] quilibet sacerdos tocius ordinis nostri dicat annuatim specialiter pro animabus fratrum, familiarium, benefactorum nostrorum vivencium et mortuorum quinquaginta missas; in quarum celebratione dicat has collectas: *Incline domine. Deus qui nos patrem. Deus venie largitor. Absolve. Ad dirige* dicantur iste collecte: *Inclina. Deus venie. Fidelium*. Quilibet aliorum sive sit clericus sive laicus dicat similiter pro eis annuatim XX psalteria.

Preterea in qualibet provincia pro unoquoque fratre defuncto sue provincie et patrono cantent cum nota *placebo et dirige* et missam conventualem quando primo eius obitus fuerit nunciatus: et hoc faciant in omnibus locis eiusdem provincie.

Preterea quilibet sacerdos [per] totam illam provinciam tenetur dicere tres missas et quilibet aliorum unum psalterium.

Item libri fratrum in fata decedencium quacumque [lege: *cuiuscumque*] conditionis statim signo sui

prioris localis et signo communis domus muniantur et pretia etiam. Si contigerit aliquem librum [lege: *libros*] vendidisse ne per manus fratrum distrahantur et sic custodiantur, donec domibus suis reddantur vel secundum dispositionem prioris provincialis et diffinitorum capitulo [sic] aliis ad usum misericorditer concedantur. Item libri fratrum in fata decedencium in aliena provincia restituantur provincie de qua fratres missi fuerunt, nisi prior generalis de eis voluerit aliter ordinare. Nullus prior localis vel [nemo] aliorum fratrum vendat librum aliquem extra ordinem infra vel aliquo modo alienet vel commutet sine licentia prioris generalis vel provincialis sub pena gravioris //216v// culpe secundum exigenciam delicti demere[n]tis. Prior autem generalis vel eius vicarius libros terre sancte per diversas provincias dispersos congreget et congregari faciat: et cum terra sancta ad manus venerit christianorum eosdem libros in terram sanctam mittat.

[RUBRICA 50]

Prior generalis de provincia ad provinciam, priorprovinciatis de loco ad locum sue provincie receptum vel recipiendum fratres et quecumque alia nostre religionis, si eis videbitur expedire, poterunt transmutare. Verumtamen talia[que] a priore generali vel provinciali de loco ad locum si[n]t transmutata a se vel ab aliis precedessoribus loco a quo transmutata sunt quam cito poterunt restituantur. Caveat tamen prior cui mittitur frater aliquis, ne ei committat officium aliquod, nisi prius ei constiterit de eius conversatione laudabili, et in libris eius faciat mencionem.

[RUBRICA 51]

In virtute spiritus sancti et sub pena incarcerationis districtis inhibemus ne aliquis fratrum nostrorum, impetret in curia romana aliquid contra regulam, nisi a capitulo generali fuerit provisum et ei concessum.

DE DIVERSITATE PROVINCIARUM [52]

In X ad presens ordinamus provincias. Quarum prima est terra sancta, secunda cicilia, tercia anglia, IIII provincia, V tusia, VI lombardia, VII francia, VIII alemania, IX aquitania, X hyspania.

Statuimus nostrum capitulum celebrandum generale anno domini MCC octogesimo quinto in domo nostra papie in lombardia, in festo pentecostes.

Statuimus ex festum [sic] sancti nicholai et sancti augustini doctoris precipui et sancte katherine fiat duplex festum.

Item de sancto ambrosio et de sancta martha IX lectiones, De sancto richardo in anglia IX lectiones. Item de sancto eligio fiant ubique IX lectiones sicut de uno episcopo et confessore. Item de IX [sic] milibus virginum IX lectiones. Item de sancta anna IX. lectiones in crastino sancti iacobi. Item post commemorationem de beata maria fiat memoria de angelis in vesperis et in matutinis, et quando occurret feria in septimana ociosa, cantetur missa ei[us]dem conventualis.

Quicumque vult dicatur tantum in dominicis diebus. Item in omnibus horis beate marie tantum in fine horarum addatur et *pacem tuam nostris concede temporibus et famulos tuos ab omni adversitate custodi.*

Datum in capitulo nostro generali londoniis celebrato anno domini MCCLXXXI in penthecoste.